

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Passer solitarius in tecto, id est: octo missae**

**Kraus, Lambert**

**Augustae Vindelicorum, 1762**

Widmung

**urn:nbn:de:bsz:31-36159**

REVERENDISSIMO,  
PERILLUSTRI, AC AMPLISSIMO  
DOMINO DOMINO  
ADALBERTO,



ANTIQUISSIMI MONASTERII AD S. MI-  
CHAELEM ARCHANGELUM IN METTEN  
INFERIORIS BAVARIÆ

ABBATI VIGILANTISSIMO,  
*S. CONGREGATIONIS CASSINENSIS*  
*ABBATI DIGNISSIMO,*

DOMINO DOMINO  
PATRI, AC MÆCENATI SUO

Perquam Gratioſo, Obſervandiſſimo, &c. &c.

REVERENDISSIME,  
PERILLUSTRIS, ET AMPLISSIME  
DOMINE DOMINE  
PRÆSUL,  
AC  
PATER PERQUAM GRATIOSE, &c. &c.



Primum hoc & exiguum styli musici Opusculum ad Tuos REVERENDISSIME ac AMPILSSIME DOMINE DOMINE pedes omni, qua par est, demissione repono, non nisi in devotissimæ mentis testimonium, quod sibi Magnum Tuum Nomen vult inscribi. Divinæ enim laudis labor est: & ad quem justius, quàm ad divini & cultus & laudis Zelatorem Amplissimum ibit? Musices argumentum est: & cui convenientius dicabitur, quàm Rei Musicæ Patrono Munificentissimo, qualem TE utroque hoc Nomine, submisso S. Scapularis osculò veneramur omnes.

Figuratus præprimis Mettenæ Chorus omnis, quas gratias, quæ officiorum studia gratiosæ Tuæ Munificentia debeat, dicendo non est: utut enim nunc vivit aut floret, solius AMPLITUDINIS TUÆ munus esse agnoscit, ac fatetur palam: eundem quippe Tuâ verè paternâ curâ foves, & non desinis quotidianis gratiis vel immeritum TIBI devincire: hoc si fileam ego, omnia Musicalium scrinia loquentur, liberalitatis Tuæ donis referta, quæ tam pretiosâ nobiliorum Musurgorum suppellectili munificentissimè amplificasti, ut & ad Artis eruditionem jam nihil desideretur, & cultus comprimis divinus, qui unicus AMPLITUDINIS TUÆ scopus est, magis, magisque augeatur.

Quantus enim divinæ laudis Zelus Magno Tuo Animo insideat, non est, qui ignoret: suspicimus nos, tota latè Vicinia miratur, omnes denique illustrissimo Virtutis Exemplo ad piissimum fervorem accenduntur. Et quem non moveat, quem non trahat solertissima illa

illa in promovendo divino Officio Vigilantia? Sive in Choro psallendum, sive cantandum, Primus Ipse ad Dei pensum alacriter persolvendum pretiosissimam Præsentiam efficaciter invitas, & ad S. Regulæ normam proprio Exemplo exactè doces, *Nihil operi Dei præponendum*: præponis nihil, & eadem Pietatis contentione Autoram prævertis, claudisque Crepusculum, ut abundantè testimonio probares, omnem etiam justissimam vitæ commoditatem cultu divino TIBI longè esse viliores.

Hæc dum memoro, plura, quæ memorem occurrunt, quæ omnia nec exigua hæc pagella caperet, nec ego quantalibet scriptioe complecti valerem. Hæcque eadem piam mihi suggerunt audaciam, ut exiguas attentati laboris mei Primitias REVERENDISSIMÆ AMPLITUDINI TUÆ debitam submissione dicarem; quæ dum in ipsa fronte Altissimi Dei Honorem præferunt, Ejusque laudem cantare sunt natæ, eò facilius apud REVERENDISSIMAM AMPLITUDINEM TUAM invenire gratiam poterunt.

Has ergo, utut ex simplici calamo prodeuntes gratiosissimo favore dignare: & si qua styli ruditas aures offendat, veniam vel inde sperant, quòd non Veterani in arte Magistri opera sint, sed incipientis tentamina, quæ non ut Phylomela in silvis, aut Alauda in altis, sed sicut PASSER SOLITARIUS IN TECTO meditabar, neque alium in finem, quàm ut in his etiam levibus glorificetur DEUS: Qui Idem ter Optimus ut REVERENDISSIMAM AMPLITUDINEM TUAM ad majorem suam Gloriam, ad S. Ordinis splendorem, ad Monasterii nostri incrementum, longævam nobis, hospitèmq; semper fervet, uterque Mettenæ Chorus omnibus votis exorat. Sicque me, & mea hæc Musices Elementa Paternæ Gratiæ omni submissione commendo

## REVERENDISSIMI, PERILLUSTRIS

AC

AMPLISSIMI DOMINI DOMINI

PATRIS PERQUAM GRATIOSI

*Obedientissimus Filius*  
Author.

XX

ODE

ODE  
IN LAUDEM AUTHORIS.

**S**urge doctarum celebris Sororum  
Turba, festina jubilante plectro  
Obviam : celsum novus ecce scandit  
Hospes Olympum.

Surge totius Decus omne Pindi,  
Arte venales, age, nocte lauros,  
Ut tuo plenam, meritamque cingas  
Munere frontem.

Non tibi vanus, levibusque turgens  
Versibus Vates venit, aut ineptus  
Erubescendo tua sacra turbans  
Carmine Tyro.

Sed venit dulces meliore doctus  
Et docens cantus numero : Æmulator  
Orphei, dignum repetens eadem  
Nomen ab arte.

Summe Musarum, Fidiumque Præses  
Phæbe ! tu primum Thema laudis ipse  
Musicæ factus, regis unus omnes  
Numine Cantus.

Te Peritorum Chorus eruditus  
Arbitrum docti Numeri veretur,  
Totus Authorem modulationis  
Orbis adorat.

En tibi non visus adest Alumnus  
Ad tuas primi positurus Aras  
( Nam colit notos sibi quisque Divos )  
Dona Laboris.

Alitem cernis : Phylomela fingit  
Passerem : ( Momi cavet esse præda )  
Tutò sic Pindum tacitis in altum  
Subsilit alis.

Delio Crispum tege Phæbe Ramo  
Verticem : dignus labor iste Lauro :  
Parsque adhuc Nido latet, & futuros  
Crescet in annos.

Proditam damnans taciturnitatem  
Inclytus famæ Genius per Urbes,  
Et Choros sparget resonante Cornu  
Nomen & Artem.

*Ita accinit  
Confrat. indignus  
P. M. S. mppr.*

\* \* \*

OEDIPUS IN SPHINGE.

**U**na fedet tecto, petit altera sydera cantu,  
Tertia stat pernox. Quæso ! quæ, fare, volucres?  
Si tres esse putas, erras. Est Unica, crede :  
Aspicio Authorem, juro, Tibi sufficit unus.  
Passer erit Monachus, cantans tibi sistet Alaudam,  
Inquirásque Gruem : Vigilem quoque cerne Priorem.

*Quem debitâ veneratione honorat,  
eidem ex animo applaudens  
P. V. H. mppr.*

*An*